



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN


## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Lamentatio Pia Sive Deploratio Præsentis Germaniæ  
status, præsertim ob veteris Religionis cum noua  
commutationem**

**Ingolstadii, 1577**

**VD16 L 165**

**urn:nbn:de:hbz:466:1-31549**





~~721/5~~

J 372.







ERZBISCHÖFL.  
AKADEMISCHE  
BIBLIOTHEK  
LEOSTR. 21  
PADERBORN




LAMENTATIO PIA  
 SIVE DE-  
 PLORATIO  
 PRÆSENTIS GER-  
 manix status, præsertim ob ve-  
 teris Religionis cum no-  
 ua commutatio-  
 nem.

AVTHORE VIRO  
*quodam erudito & Ger-  
 manicæ Nationis  
 amante.*

M. D. LXXVII.







II. PETRI. II.

Hi sunt fontes sine aqua, & nebulæ turbini-  
bus exagitatae, quibus  
caligo tenebrarum reser-  
uatur.





QVOMODO OB-  
SCVRATVM EST AV-  
RVM, MVTATVS EST CO-  
LOR OPTIMVS?

Threnorum, 4.

**Q**VOMODO *decepta es iniquè libertatis  
prætextu infelix Germania? Quemadmo-  
dum purioris Christianismi nomine falsa es  
latissima Regio extremi Aquilonis? Quàm  
misèrè adhuc ab Ecclesiasticis tuis quotidie seducere Gens  
fascinata? Quomodo mutata es in receptaculum scele-  
ratorum & Magistram errorum, quæ solebas esse fide-  
lis Ecclesiarum Cultrix, munifica, insignium Monaste-  
ricũ fundatrix, Romana sedis spes & refugium? Ar-  
gumento sunt laudatissimi Reges & Cæsares Pipini, Ca-  
roli & Othones, qui strenuissimi tutores & propugna-  
tores Christianæ religionis, ingenti suo sumptu, labore,  
periculo, non semel summis Pontificibus tulere suppetias.  
At quàm sis post aliquot lustra diuersa atq; mutata,  
etiamsi nullus loquatur vel scribat, impia tamen tua fa-  
cta abundè declarant. Execrabilis ergo tibi visa est Ec-  
clesia Catholica, tanquam Papistica, & tot annis equa-  
nimitèr sustines, amas ac foues Ecclesiam malignantium  
& Synagogam Sathana?*

*Si durius hæc tibi acerbiusq; dicta videntur, in-*

A 2

*tuere*



DEPLORATIO GERMANIAE.

tuere obsecro & eorum expende opera, quos fidei Magistros sequeris; compone illorū dicta & facta cum CHRISTI JESU, Prophetarum, Apostolorum & Martyrum vita. Nullo non conuitiorum genere proscindis Clerum, Episcopos, summumq; Pontificem CHRISTI Vicarium; & tanquam Deos quosdam suspicis Idola tua, Antichristi prænuntios, Lutherum dico, Bucerum, Zuinglium, Melanthonem, Calvinum, Brentium similesq; pestilentissimorum errorum artifices, qui suis te fucis, imposturis & mendacijs in istas plusquam Cimmerias tenebras protruserunt. Ferre noluit legitimos Apostolorū Successores & Orthodoxos Episcopos; & nunc tolerare cogere seditiosos nebulones, ministros Diaboli. Intolerabiles tibi visi sunt Oleati & Rasi, hoc est Sacerdotes & Monachi; & dominantur tui viles Apostata & omni genere flagitiorum contaminati: in eo siquidem tanquam in sentinam, Fax mundi iam pridem profluxit, & promiscua colluies hominum perditorum. Onerosas iudicasti sacras Religiones & Monasteria, qua maximos pauperum tuorum greges alebant; & nunc à cupidis, ambitiosis, lasciuis, professionis sua transfugis, impunè expilaris, deuoraris, in faciem cæderis. Abegisti, qui modeste vitæ necessaria mendicabant, & officiosè gratias agebant; & eos acceristi ac foues, qui confidentes ampla stipendia exigunt, ut inde cum Scortis suis lasciuè uiuant. Perditionis

tua,



DEPLORATIO GERMANIAE.

tua, proh dolor, authores magno conducis & alis; & salutis vitæq; præcones fastidiosè respuis, superbè contemnitis, crudeliter persequeris. Discidisti, infelix, incōsultilem tunicam DOMINI, quam impij quoque crucifixores reliquerunt intactam; & deserta semel Catholica fidei ac pacis unitatè, turbulentissimis opinionum, disidijs exagitaris, diuersis ac monstrosis sectis discerperis, pestilentissimis hæresibus tota peruersa dilaceraris.

Ah in quam te noctem & miseriam subdoli errorum Fabri præcipitarunt! lethargo nimirum tam graui sopitam, ut omnem penè malorum sensum amiseris. Quàm damnosum est tibi, & reuera amarum, quòd leue Iugum Ecclesie rebeli ceruice exciiseris! Quàm copioso sanguine tuorum iam pridem luiti, quòd ad obedientia Romanae sedis te pertinaciter subtraxeris! Heu quàm insanabili plaga inimicus humani generis te percussit, quando tot animarum myriades ex te rapuit & perdidit iam plusquam quinquaginta annis!

O infelicissimos agricolas & rusticos, quorum super centum millia trucidauit nobilitas exasperata! Quàm immites & sanguinarij Euangelista, qui innumeram hominum turbam perdiderunt sub prætextu Christianæ libertatis! Heu qualem vindictam postulant aduersus Doctores seditiosos & subdolos, qui corporali & æterna morte cateruatim perierunt, sicut vilissimi canes! Et tamen homicidarum istorum Vipereum semen ad-



DEPLORATIO GERMANIAE.

*huc colis & adamas, quorum tibi vesani patres causa fuerunt tanta stragis. Quomodo infatuata es à Pseudo-prophetis tuis, non minus sanè quàm peritura olim Hierosolyma! Prophetæ enim tui viderunt tibi falsa & stulta, nec aperiebant iniquitatem tuam, ut te ad pœnitentiam prouocarent. Consimilis videlicet causa est temporalis in Iudæis ruina & in tot seductis nationibus damnationis perpetua.*

*VERE Prophetæ tui, ô plebs caca, non Apostoli DOMINI; falsi, non veri, de capite suo prophetantes, non ex spiritu DEI viderunt tibi falsa & stulta, errores stolidissimos & fucata mendacia, nec aperiebant vel aperiunt tibi iniquitatem tuam; sicut veri Prophetæ, exhortando, docendo, arguendo, obsecrando, & increpando consueuerunt. Non annuntiauerunt (inquam) vel annuntiant tibi peccata tua, non exclamant fideliter contra scelera tua; sed aduersus Prelatos Ecclesiæ & abusis, seditiosè vociferantur, ut animus instabilis vulgi in odium Cleri inflammetur. Nec student exhortari ad pœnitentiam, qui salutaris pœnitentiæ nomē exosum habent, respiciunt ac subsannant. Non prouocant ad dignos pœnitentiæ fructus, quibus impendentem DEI iram, cum Ninivitis possis auertere: Non enim placent effœminatis eorum animis, labor ingemitibus, sincera peccatorum confessio, assidua cum vicij lucta, anxia cordis & omnium sensuum custodia,*  
*inde-*



DEPLORATIO GERMANIAE.

indefessum certamen & studium vincendi semetipsum. Aversantur omnes corruptæ carnis afflictiones, ieiunia, peregrinationes, vigiliæ, cilicia. Inuisæ sunt improbis & salacibus amara lachryma, planctus & lamenta, nimirum quòd ea carnali populo parum arridere non ignorant, qui ut peccatis suis secure & molliter indormiat, de spe, fiducia, pietate & misericordia, quàm de diuino iudicio & iustitia audire mauult; & heu quantorum malorum ipsa tibi facta es causa, post quàm arrogans & proprio sensu inflata desisti ad sobrietatem sapere & humilibus consentire!

TOLERARE non potuisti, scilicet abusus & luxum irregularis Cleri; & nunc sublata ex te religione, iudicio, iustitia, pudore, & ordine, liberrimas laxasti habenas carni. Quomodo facta es meretrix, natio olim plena iudicij & religionis? Iustitia, fides, & sanctimonia habitârunt in te; nunc autem sacrilegi, homicidæ & impij. Cùm autem pessima quæque & possis & facias, nondum seriò expendis, quomodo ultricem DEI manum euadas, videlicet, quia summa tua mala non satis adhuc sentis; quamuis aliquot iam annis paucoris subinde & clamoris plena fueris, quæ superbè gloriari soles, tanquam inuicta, intrepida & liberrima.

UBI sunt ( queso ) Idola tua, turbidi bellatores, confederati & Principes, in quibus confidebas? Quid tibi profuerunt impia consilia ac temeraria eorum arma,



DEPLORATIO GERMANIAE.

ma, quorum fiducia te erexisti contra precipuos orbis Christiani Monarchas? Egregium verò Euangelium, quod te docuit legitimis Prælatiſ & Principibus nõ obedire, ſed tanquam filiam Belial, abſque iugo, ordine & lege vivere.

O TE verè conuulſam, deſolatam, miſeram & miſerabilem, quæ, cum ſuis ex omni parte miſerrima, nondum, tot flagellis attrita, ex animo ad percutientem te proclamas, ſaniora meditaris, ſeriò reſipiſcis! Quid proſunt obſecro tot preces, minæ, edicta, & cenſurarum fulmina, quando in nefandis erroribus tuis tota pertinax eſſe perſeueras & inueterata?

CÆSARÆ ſaltem Maiestatis gladium formidãſſes, poſt quàm anceps ille & ferociſſimis olim Imperatoribus meritò formidabilis beati PETRI mucro in tã profundum tibi contemptum venit. O Quoties te congregare voluit ad unitatem Eccleſiæ prudentia & patientia Manſuetiſſimi Cæſaris! ſed illius longanimitate toties abuſa, tandem coacta es vires eius experiri & arma. Senſiſti tamen quantumuis rebellis & contumax non minùs ingentem eius clementiam & paternum in te affectum, quàm inuictum robur & collatam cœlitus victoriam; cuius utinam ſaluberrimis edictis & monitiſ parère maluiſſes, quàm aurem præbere ſeditioſis corruptorum tuorum concionibus & libelliſ. Non excitafſet in te (opinor) ultor perſidia. DEVS ſpiritum turbulentiſſimæ



DEPLORATIO GERMANIAE.

*lentissima rursus dissensionis & vertiginis, quo sic iusto DEI iudicio es concussa & exhausta, ut promiscuus praedonum colluuii graui ludibrio fueris & praeda.*

*O TE deploratissime stupidam & lethargicam, si irati DOMINI in tot plagis manum nondum agnoscis, multo quidem nunc acerbius vexata & vastata à propugnatoribus errorum tuorum & confœderatis, quam fueris antea ab Imperatore Carolo, aperto heresum omnium Aduersario, quem tam vehementer toties irritasti! Vide tamen, ne tantum sint initia dolorum, quæ passa es hæctenus, & vindex DOMINI manus adhuc super te maneat extensa. Vide, inquam, & metue, ne baculum furoris sui contra te mittat impiissimum Turcarum Principem, si te paterna eius flagella non solum non corrigunt, sed grauius indurant.*

*HEI quomodo seruaberis gens caca, surda & eneruata? Quis ostendet tibi fugere à ventura ira? Non enim hæc eos sollicitant, qui in rem suam student loqui placentia, ut qui fortasse te malint viuere sub atrocissimo Turcarum Tyranno, modo fieri possit eorum comodo, quam sub clementissimo fidelium Patre Pontifice Romano: Non querunt siquidem salutem tuam operari mendaces & subdoli, qui ut liberè dominantur tui, molles puluillos consuunt sub omni cubito manus, qui blandis (inquam) suis sermonibus & pollicitationibus hoc agunt, ut obliuiscatur carnalis populus legem Do-*

B

MINI



DEPLORATIO GERMANIAE.

MINI DEI sui, docentes vel sceleratissimos quosq; (esto perdurent in flagitijs suis) audacter considerare in solis meritis CHRISTI.

MISERET me profectò tui, miserrima patria, quæ tanquam altera Chersonesus Cimbrica gravissima calamitate, cecitate & servitute oppressa iaces. Misere-  
 seret me consulum & præfectorum tuorum, qui contra scelestos mutire non audent; mutire autem? imò & qui frequenter (si quid tamen veri luminis habent) contra conscientiam agunt, ac timore seditiosæ plebis deterriti, quiduis corruptissimis hominibus permittunt: Nimirum cum hoc singulari Demonis afflatu, subdoli impostores suis concionibus peregerint, ut timore seducti populi Magistratus sibi in omnibus habeant obnoxios. Misere-  
 ret me rursus instabilis vulgi & simplicis plebecula, quæ Civitatum & Principum vel persuasione seducta vel oppressa Imperio, pro Pastoribus lupos admittere, pro legitimis custodibus fures & latrones magnò alere, pro diuinis Oraculis mendacia Hereticorum & somnia cogitur amplecti. Misere-  
 ret me paruulorum tuorum & impuberū, quos antè impios facis ac Gehenna filios, quàm inter lac & venenum, bonum & malum, veritatem & mendacium satis possint discernere. Misere-  
 ret me deniq; parentum & mortuorum, quos impiè irriso purgatorio, vigilijs, elemosynis, Missis, solitisq; precibus crudeliter spoliās, atq; adeò omnibus subsidijs & so-  
 latijs



DEPLORATIO GERMANIAE.

latijs defunctorum: Quàm cæca proinde facta es crude-  
lis & impia, quæ vivis & mortuis tantopere es infesta!

HEU quàm pudenda cecitate ac seruitute inscia  
premeris, quæ de receptis oculis & Evangelica libertate  
toties gloriaris! In hanc (proh dolor) caliginem & te-  
nebras, imò profundissimam noctem diuersarum Reli-  
gionum, vilissimi transfuga te induxerunt, post quàm  
iuratam DEO fidem, sacrilega temeritate fregerunt.  
Intuere, obsecro, quos observes & foveas fidei morumq;  
Magistros, nempe periuros & perfidos desertores, om-  
ni vitiorum genere impurissimos. Ecquid te boni, qua-  
so, sancti & Religiosi docere poterunt, qui semetipsos,  
desperantes, totos impudicitia & carnis desiderijs tradi-  
derunt?

O TE longè infœlicissimam, quæ pro Apostolis  
CHRISTI, infrenes Apostatas colis, pro insignibus  
Euāgelistis falsidicos impostores amplecteris, quos tan-  
quam Numina quadam hæreticorum portenta suspicis,  
atq; adeò ijs te instituendam, regendam, seruandam cre-  
dis! qui omne genus facinoribus flagitijsq; contaminati,  
gladium, rotam, crucem flammâsq; non rarò commerue-  
runt. Nimirum Turbatores Christianæ pietatis &  
pacis, in potestates & Principes maledici & cõtumaces,  
certissimi Catholicæ Ecclesiæ hostes, sanctissimorum Sa-  
cramentorum cõtaminatores & conculcatores scelestis-  
simi, Retinçtores & Anabaptistæ, sacrilegi, Tem-



DEPLORATIO GERMANIAE.

plorum effractores, sacrorum vasorum violenti fures,  
calicum & patenarum impiissimi conflatores.

EGREGII verò purioris Christianismi, verbi  
& Euangelij Doctores, qui aliena sibi vendicare docent,  
bona Sacerdotum & Monachorum audacter diripere,  
Loca DEO dedicata ornamentis & prouentibus spo-  
liare, sacrosancta Altaria sceleratis manibus subuerte-  
re, direptis pheretris & cimelijs abiectisq; sacris reli-  
quijs omnem Sanctorum memoriam abolere, Basilicas  
Regis gloria omni pristino ornatu cultuq; nudare, atq;  
adeo tanquam vanum quoddam horreum incultas de-  
solatasq; relinquere, cantantes: Das Lande bringe  
Frucht vnd bessert sich / dein Wort ist wol gerahen / &c.

O VEROS Euangelicos, qui dissidia serunt, tu-  
multus excitant, seditiosis concionibus stolidum vulgus  
dementant, ad omnem carnis petulantiam ostium ape-  
riunt, quicquid haecenus sacrum fuit & sanctum, im-  
pudentissimè prophanant; ad sacrilegas rapinas, Aua-  
ros Principes & Magistratus extimulant, ad expilan-  
da deniq; scrinia diuitum factiosam plebeculam tacitè  
prouocant! Haecine, rogo, est Christiana libertas, do-  
ctrina Euangelica, purior Christianismus? siccine fa-  
ciundum docuit CHRISTVS? Monuerunt Apo-  
stoli? hortati sunt Prophetae?

UBI nunc, proh pudor, sublimis ille Alemanorum  
spiritus, solers prudentia, animi sagacitas, exacta eru-  
ditio,



DEPLORATIO GERMANIAE.

ditio, ingenuus candor, inuicta constantia totiesq; iactata libertas? Ubi est, inquam, prodigiosa Germanorum literatura, linguarum peritia & eloquentia toties plenis buccis celebrata? Ubi tot illustres viri, ad miraculū usque docti, quos ob raram eruditionem, facundiam, candorem & linguas D. Erasmus magnificis præconijs orbi notos celebresq; reddidit? Quonam evanuerunt eximia illa encomia? Quis usq; fructus accessit Ecclesie DEI, ex tam ampla, scilicet, & tam multifaria eruditione? Quotusquisq; precor, ex omni illo tant opere laudatorum grege opposuit se murum pro domo DEI? Nunquid non stultam fecit sapientiam eorum, qui superbis resistit, omnemq; mundanam sapientiam infatuauit, amator humilium, DEVS? Nunquid non infideles inuenti sunt & socij furum, hoc est, rapacium Hæresiarcharum? & obscuratum est insipiens cor eorum, dum professionis suæ limites transgressi, plus sapere volunt, quam oportet? Nonne dicentes se seriò iam sapere, reuera stulti facti sunt, nec facile resipiscere possunt, postquam ab unitate Catholica Ecclesie semet ipsos segregauerunt? Obtenebratum est enim iusto DEI iudicio elatum cor eorum, supercecidit ignis ambitionis & carnalis concupiscentiæ, terribiliter in eis offuscans & excæcans lumen rectæ rationis: A proprio namq; sensu, Damone & Carne miserabiliter fascinati videre nequeunt clarissimum, alioqui lumen synceræ veritatis.



DEPLORATIO GERMANIAE.

LIBET proinde eorum nomine, qui affliguntur  
 super contritione IOSEPH, Prophetica voce lamen-  
 tabiliter exclamare: Heu, heu, heu, DOMINE DEVS,  
 nunquid proijciens abiecisti Germanos? & vastissima  
 regna Aquilonis abominata est anima tua? Quare er-  
 go percussisti nos ita, ut nulla sit sanitas? expectauimus  
 pacem & non est bonum, & tempus curationis & ecce  
 turbatio. Cognouimus DOMINE impietates nostras,  
 iniquitates patrum nostrorum, quia peccauimus tibi.  
 Ne des nos in opprobrium sempiternum propter nomen  
 tuum, neque facias nobis contumeliam, ut dominantur  
 nostri gentes, quae non nouerunt te. Ergone benignissi-  
 me amator hominum, DEVS despexisti populum  
 istum, & nullus verè sapiens & Orthodoxus est inter  
 eos? Nemo ex tot doctis, solertibus & canis, tam aper-  
 tam fraudem, fucos & nebulas versipellium imposto-  
 rû adhuc deprehendit vel intelligit? Sic non est ullus in  
 vastissimis regionibus Aquilonis cordatus & sapiens li-  
 berq; spiritu, qui vel nunc rapaces lupos sub vellere oui-  
 um agnoscat? qui post tot flagitia, tumultus & scanda-  
 la, à fructibus arbores discernat? qui pro domo DEI ze-  
 lans, iniquitati & impietati opponere se audeat? Quo-  
 modo obtexit caligine in furore suo DOMINVS filiam  
 Syon, proiecit de calo in terram inclytam Nationem  
 Germanicâ, & nō est recordatus scabelli pedû suorû, tot  
 insignium Monasteriorû & collegiorû, in die furoris sui!

QVID



DEPLORATIO GERMANIAE.

QVID enim profuere tot censura & minae, strages & bella, Comitia & colloquia? aut quid intentatum, sanandis errantium animis quinq; summi Pontifices & Religiosissimus Imperator Carolus Quintus reliquerunt? An non aperte verissimam hoc esse terribilem illam scriptura sententiam perspiciamus: Quia nemo potest corrigere, quem DEVS despexerit? Homines enim mente corrupti proficiunt in peius, errantes & in errorem mittentes; peruersi difficile corriguntur; & stultorum infinitus est numerus.

AT tu dominator DOMINE, miserator & misericors, & terribilis in consilijs super filios hominum, altiore consilio misereberis, cui misertus es, & misericordiam praestabis, cuius misereris. Ua interim mundo à scandalis, ab haesibus, à Pseudoeuangelicis, à falsis Prophetis; sed tu DOMINE nouisti, qui sunt tui, quantumuis in medio perditissimorum agant & tanta spiritualiter idololatrantium turba. Nec dubitamus, quin reliqueris tibi adhuc plerosq; ( qui abscondito mœrent & lugent super contritione IOSEPH ) viros signatos signo THAV in frontibus suis, qui non curuauerunt genua ante Baal, nec oculos suos leuauerunt ad Idola Israël. Alioqui quomodo iustissime DOMINE, cui exosus est cū iniquitate sua impius, tot Nationū grauisima flagitia, scelera et blasphemias tã lōganimitè, diuq; ferres?

SED ô miram & prorsus ineffabilem tuam patientiam!



DEPLORATIO GERMANIAE.  
*tiam! ô placidissimam benignitatem & mitem longani-  
mitatem! Oppressionē, lachrymas ac singultus electorum  
tuorum ad te clamantium audire dissimulas, ac velut  
ignorare videris, ut populus prauaricator tam incredi-  
bili mansuetudine & tot annorum dilatione ac impuni-  
tate prouocatus, tandem aliquando ad salubriter  
percutientem & placidissimè expectan-  
tem conuertatur &  
vivat.*

F I N I S.



INGOLSTADII  
EXCVDEBAT ALE-  
XANDER WEISSENHORN  
CVM COHAEREDIBVS  
SVIS.

ANNO M. D. LXXVII.











